

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0236

0234

0240

0230

0245

atrio ante templum crebras genuflexiones et inclinationes
faciunt, et sic ingrediuntur cum gravitate.

0225

Dum rex Soldanus est in Jerusalem et templum ingredi
vult, prius pavimentum et templi parietes aqua rosacea la-
vant, qua et ipse Soldanus baptizatur ante introitum ob
templi et regis magnificentiam.

0285

Tantae aestimationis est hoc templum apud Sarracenos, ut
eo habito non multum curarent Christianos habere civitatem.
Unde anno Domini 1269., dum nostri obsiderent Damiatam,
Aegypti civitatem, videns Soldanus quod capienda esset,
misit oratores et nuntios solennes in nostrorum exercitum
pro pace, petens, ut solverent illius urbis obsidionem,
et acciperent Hierosolymam in perpetuam possessionem, demto
templo Domini, quod pro se retinere vellet. Insuper obtulit,
se suis expensis reaeditare muros Jerusalem, jam per Cor-
radinum, regem Damasci, destructos, et omnes captivos Chri-
stianos reddere, et nihil velle retinere eorum, quae ad regnum
Jerosolymitanum pertinent, nisi templum Domini in Jerusalem.
Hanc conditionem libenter et contanter acceptassent Christiani,
Rex Jerusalem Johannes et Franci et Teutonici, sed non
placuit Pelagio, Cardinali Legato et Italicis, et orientalibus
Christianis, nec acceperunt nuntios Soldani. Verum post pau-
cos dies amiserunt captam Damiaten et omnia loca orientis
terre sanctae, ita, ut non haberent lapidem unum in Jerusalem.
Et hoc justo Dei judicio accidit in punitionem avaritiae Italo-
rum, qui Damiatam pro eo, quod erat urbs negotiationibus
apta, praeferabant Jerusalem et terrae sanctae, aestimantes,
se omnia possessuros. Fuissent quidem Sarraceni contenti,
totam Judaeam, Palaestinam et Galilaeam dare Christianis,
ut templum in Jerusalem solum possidere potuissent, sed hoc
eis denegato totum amisimus, et usque hodie terram et civi-
tatem sanctam et templum possident, in ipsum autem tem-
plum nullum intromittunt, qui non est sub lege Machometi, et
quicunque Judaeus aut Christianus ingressus fuerit et repertus,
mox ipsum suam abnegare fidem cogunt, vel tormentis con-
sumunt. Non obstante autem hac prohibitione multi Christiani
se periculo dant et modos excogitant, quibus ingressum
habere possint, quia secundum sententiam Ovidii nitimur in

0185

0335

0135

0735

Ende

Anfang

